


ANN. X. - N. 62

MENS. JULIO et AUGUSTO

ANN. MCMXL



PALAEESTRA LATINA

S U M M A R I U M


Mirifica Portenta	(MARCOS)
Post Fata et Nubila	(JIMÉNEZ)
In Palaestram Latinam	(MARCOS)
De Cordimariana voce	(MIR)
Moleae Subterraneae	(VIATOR)
De Metricis Pedibus Latinis	(MARTINEZ)
De Bucolicis Vergilianis	(LUENGOS)
Nova et Vetera.	(AVENARIUS)
Commercium Epistulare	(AVENARIUS-JIMÉNEZ)
Per Orbem	(PALMES)
Responsorium	(SENEX)
Aenigmata,	(PALATA)
Lectoribus Monita	(ACTUARIUS)
Epheborum Exercitationes	
Sal et Piper	
Bibliographia,	(PALMES-JIMÉNEZ)
Opera in Scholam	



in Lafinum
translata a R.
P. Ludovico
MARCOS
C. M. F.
Villae Rosarii
in Argentina
litt. Lat.
Professore.

XXXVI

Nec prius absistit quin se-
pultum herum revocaverit
in auras.



XXXVII

Dum Titus ruinae tantae
superstes eruit sclopetum,
Melampus annonam custo-
dit.



XXXVIII

Tutiora loca quaerentes, in
vallem descendunt.



XXXIX

Summis rupibus delapsum
invenerunt interemptum
leonem.



ANNO X. - NUM. 62

MENS. JULIO ET AUGUSTO

AN. MCMXL

PALAESTRA LATINA

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem, manuscripta autem ad Moderatorem

DIRECTIO ET ADMINISTRATIO: LAURIA, 5 - APARTADO, 1042 - BARCELONA

Post fata et nubila

Quam Jovaeum desideratissimum toto corde reposcebamus opem, ipse demum placidus tulit. Diu pererrantes, sedem quaerebamus stabilem. Fratres carissimi qui Alabonae et Caesaraugustae communistarum strages excidiaque non viderant, manus suas et opera ad nos peramanter admovebant. Liceat igitur ex his pagellis eisdem gratias quam plurimas reddere.

Nunc vero, cum aedes illae Cervarienses, ubi Palaestrae Latinae sedes erat, in publicos et militares usus sint ordinatae nec ulla spes hic et nunc effulgeat ad eas redeundi, placuit Deo ut in hac magna Barcinonensi urbe domus nova constitueretur, ubi tandem Palaestra Latina inveniret requiem.

Hinc ergo sociis et lectoribus humanissimis salutem plurimum damus omniaque fausta et felicia ex animo ominamur.

Propositum nostrum semel iterumque patefecimus: Linguae nempe Latinae doctrinam et usum instaurare et quantum liceat diffundere. Ad hoc in votis est singulis quoque mensibus, ut mos ab initio fuerat, Palaestram Latinam edere. Tamen adjuncta temporum nunquam ut nunc pessimam: fumant urbes, agitantur maria, mors advolat minitans per aëra; commercium popolorum difficilius in dies evadit, futurae belli complicaciones cruciant animos: graviores sumptus, chartae rariores, negotia et munera cottidie augentur. Quid ergo? Ad Deum pacis, Matremque pacis Reginam oculos convertemus a quibus omnia bona speramus.

JOSEPHUS M.^a JIMENEZ, C. M. F.

Barcinone, IX Kal. Oct. an. MCMXL.

In Palaestram Latinam

Ergo Argentinas iterum properabit ad oras
Sanguine quae cecidit sparsa PALAESTRA ducis?
Quaeque satorem habuit carum doctumque Jovaeum
Astris quem tulerat morte nefanda manus?
Florida septennis tunc illi adoleverat aetas,
Usque peritorum laudibus acta virum.
Passim, heul prostant infandae monumenta ruinae;
Horrendae turmae per vetitum omne labunt!
Cum menti subeat istud lacrimabile funus,
Tot mala quod nostris intulit Hesperiis,
Me pavor invadit, sensus mentemque lacescit;
Non adeo cordi vulnera facta dolent.
Verum tristia quid memorem? Satis est lacrimarum
Jam satis Hispani funeris esto trucis.
Quin potius FRANCO numeri celebrandus honore,
Lauro frondenti tempora vincita gerens.
Campis jam arma silent; miles jam vixor ab hoste,
Qui intulit Hispanis dedecus omne, venit.
En reduces artes! En docta PALAESTRA LATINA
Munere caelestum pace virente viget!
Quam modo bis denis lunis lacrimabar ademptam
Atro de tumulo rursus ad arma verit.
Leti discussis tenebris, jam fulgor alendis
Artibus Ausoniis clarus ibique patet.
Ceu viridem laurus cui silvam sustulit Auster,
Stipite at incolumi fert itērum frutices;
Turbine «rubrorum» sic fronde orbata PALAESTRA,
Aevo nunc gemmas trudit adulta novo.
Jamque instaurandae patriae instant cuncta labori;
Undique ver ridet; pulsa Minerva redit.
Fert meritum Romae Graecisque juventus honorem
Queis nullum melius protulit arte genus.
Bracchia pandit Crux ubicumque depellitur hostis;
Assurgunt patulis templaque lapsa polis.
Jam mores sancti alma Religione tuentur
Quae Hispanis populis abstulit omne decus.
Surgere qui curat populo fave, Numen, Iberol!
Auxilioque tuo, Virgo benigna, fove.

L. MARCOS; C. M. F.

De Cordimariana voce

1. Praenotatio

Hanc, quae sequitur, de Cordimariana voce elucubrationem, care lector, ante luctuosam illam patriae rerum perturbationem exarabamus occasione centenariae commemorationis Archiconfraternitatis Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis Parisiis constitutae, apud Dominam nostram de Victoriis, eo praesertim fine ut, sicut in dies crescit et augetur vera fidelium erga Cor Purissimum B. M. V. pietas, ita lexica hodiernarum linguarum ornentur ac locupletentur iis vocibus quas pietas fidelium usurpare solet.

Haud certe mens nostra est extremam in medio solutionem afferre, sed tantum fundamenta et difficultates, quae in voce adhibenda apparent.

Missa itaque facientes ea quae ad originem et propagationem devotionis erga Purissimum Cor Beatae Mariae Virginis sive ab initio sive hac nostra tempestate, et ea pariter quae perfecta sunt a Bto. Antonio M.^a Claret ejusque filiis, qui vere hujus devotionis apostoli existiterunt, sermonem nostrum ac disquisitionem vertimus ad quaestionem linguisticae, quae eruditorum controversiam olim suscitavit, ac non penitus nobis enucleata videtur nec extincta disceptatio; hoc est: de voce seu vocabulo composito quo uti oporteat ad designandas per *adjectivum res ad Cor Mariae spectantes*.

Scimus voces quae in maximum usum veniunt, simplicitatem in exprimendo postulare ac querere; itaque duo conceptus, quos saepius usurpare debemus, qui que juxta syntaxeos praecelta proxime in oratione adstant, in compositionem, si liceat, tendunt. Cum igitur res pertractantes quae ad Cor Mariae spectant, saepe numero plura vocabula opus essent ad eandem rem designandam, et haud ita consonum auribus esset eundem semper loquendi modum adhibere, compositi formationem, quae huic incommodo solutionem afferret, eruditii quaequierunt. Novi vocabuli utilitas apud Hispanos primum desiderata est. Ceterae linguae vocabulum suscipere aut non expertae sunt aut sese ad id negotium difficiles praebuerunt. Ad hanc difficultatem, quae non nullis inest eruditis ut nomen admittant, de medio tollendam nostra valebit oratio.

Primo compositorum Latinorum theoriam trademus ad rectum vocabulum effingendum, deinde de vera natura ac plane singulari vocis *Cordimarianae* sermonem habebimus. Ne tamen manca appareat nostra elucubratio, vocabula exquiremus quibus, arbitratu nostro, praecipuae Europae linguae uti valeant.

Juvat autem nunc prius quam ad scientificam investigationem deveniamus, originem vocis notare. Vox primum usurpata est a Rdo. P. Thoma Echevarría,^x deque

^x Ex tempore quo R. P. Th. Echevarría *Cordimarianam* vocem in vulgus edidit, populi favore et eruditorum gaudere visa est; nec tamen ab omnibus probatta, nam fuerunt qui aut *adjectivum* prorsus respiciunt aut *Cord Marianum* maluerint appellare. De nomine quo pias fidelium Associationes, quae speciali prosequuntur amore Cor Mariae, decorare ac honestare oporteret disceptatio mota est in Sessionibus privatis habitis in Congressu Mariano Hispano Americano Hispali celebrato; ex quo sequentia depromere licet verba: «En su discurso —el R. P. Fruatuoso García Bañares— aplicó la palabra *Cordimariano* al culto del Corazón de María,

ea mentem suam ac vocabuli rationem in ephemerede «Iris de paz», 1916, II, pag. 431: *Estudios Claretistas* — *Entremés literario* — aperuit. Est elucubratio exquisita sane, in qua auctor, eo quo pollet dicendi nitore ac pulcra elegantia, propriam sententiam studiose propugnat ac oppositas refellit objectiones; veram tamen hujus vocabuli naturam aperte non significat. De hoc vocabulo disquisitionem aliquam habuit in ephemerede privata Collegii Celsonensis «Legión Cordimariana» optime meritus Rdus. P. Ildephonsus González — quem veteres subnotatores ut assiduum PALAESTRAE LATINAЕ collaboratorem jam inde ab ejusdem incunabulis agnoverunt. Quae lucubrationes optime elaboratae, proprium finem ac scopum attigerunt, at nativam et singularem hujus vocis formationem non ita dilucide pertractare videntur.

2. Quo modo latine componantur vocabula

Ut superius innuimus in hac elucubratione de recta adjectivi compositi formatione, quo res ad Cor Mariae pertinentes designari valeant, agere curavimus. Ergo de compositis primum erit quaestio.

1) *Utilitatem et prorsus necessitatem admittendi composita* in linguis, omnes agnoscunt, et ad id suapte natura tendit hominis intellectus, eaque lingua majore ostenditur ornata perfectione quae pariter majore praedita est facultate vocabula multiplicandi et maxime per compositionem. Itaque compositio habenda est velut intima quaedam sermonis vita ac vigor. Compositum enim vitalem linguae usum ostendit, dum nova significatione lingua locupletatur atque augetur. «Les composés — ait cl. Dnus. Marouzeau — sont des mots riches de sens puisqu'ils totalisent les significations de deux mots autonomes». ²

Ex linguis autem quae matrem agnoscunt Indam-Germanicam, Sanscrita maxime ad compositionem apta fuit — sicut et Germanica hodierna —, Graeca aliquatenus et multo minus Latina: linguae vero Romanicae, originem habentes Latinam, majorem mutuatae sunt copulandi et conponendi aptitudinem. ³

2) *Compositi notio ideologica seu philosophica*. — Compositorum vis haec esse videtur: in oratione saepenumero vocabula inveniuntur quae strictiore junguntur nexus syntacticus, quaeque aptissima esse possunt ad rem unam significandam, eaque tandem aliquatenus immutata unum effingunt vocabulum unumque exprimunt conceptum. ⁴ Compositi autem notio morphologica sic definire potest: «Accessio thema-

pidiendo perdón si algunos opinaban que era un *barbarismo* como había oido a ciertos escritores. El reverendo P. Tomás Echevarría, maestro en cuestiones de la lengua y de teología ascética y mística, se levantó para manifestar que es muy distinto *barbarismo* y *neologismo*; que la palabra *Cordimariano* no está en el diccionario, pero que está formado exactamente de las raíces de las voces que se quieren compendiar; que había consultado a algunos miembros de la Academia de la lengua y le habían declarado que estaba primorosamente formada y que si llega a generalizarse, no sería extraño que en alguna de las ediciones nuevas del diccionario tuviese cabida. Se aplaudió grandemente al pulcro escritor y se acordó que quedase establecida la costumbre de usar la palabra *Cordimariano*; quod quidem votum ut quarta Congressus conclusio susceptum est. Cf. Anales de la Congreg. de Mision. Hijos del Ido. Corazón de M.^a, 1929, p. 296; et p. 299.

(2) MAROUZEAU, *Traité de stylistique appliquée au latin*, p. 130.

(3) MEYER LUCKE, Lingüística románica, § 196.

(4) STUS. TOMAS, in suo in Peri-hermeneias commentario (Lect. IV, 9-10-11 et L. VI. 5-6) quaedam tradit quae maximi momenti esse possunt ad compositorum sensum exquirendum, ac sedulo notat notionem omnino simplicem composita exprimere, licet e pluribus conflata verbis. Cf. etiam BRUGMANN, *Abregé de gram. comparée des lang. indo-europ.* Paris, § 366. 2.

tum quorum sensus mutuo inter se reciprocatur eorumque ultimum thema tantum flectitur ac sub uno accentu simplicem conceptum constituunt».

3) *Divisio*: Plures ab auctoribus afferuntur compositorum divisiones⁵ et pro aliis sermonibus et pro Latino; at eas praetermittendo locutiones quae composita dici aut hujusmodi fieri possunt, ad haec praecipua capita reduci posse arbitramur: Composita improprie dicta seu *syntactica* et proprie dicta seu *asyntactica*; priora dicuntur, quae propriam ac nativam flexionem servant ideoque et separatim scribi possunt, ut *res-publica*, *juris-consultus*, *jus-jurandum*, *manu-missio*, *satis-facio*, ceter.; posteriora vero sunt, in quibus primum thema seu radicale amisit flexionem propriam et aliud membrum tantum flectitur; haec autem juxta sensum esse possunt:

a) *Copulata seu juxta-posita*: quorum membra nullam inter se exhibent subjectionem et extra compositionem particula et copularentur: *duo-decim*, *su-ove-taur-ilia*.

b) *Composita objectiva seu dependentia ea* sunt, quorum aliud elementum est alterius complementum seu ab alio regeretur in nominibus non copulatis: *luci-fer* = qui fert lucem, *agri-cola* = qui colit agrum, *auri-fodina* = aurifodina.

c) *Attributiva ea* sunt in quibus prima compositi pars est velut attributum vel qualitas quae de alio praedicatur tamquam adjectivum vel adverbium: *sub-scribo* = infra scribo, *meri-dies* = medius dies, *pro-scenium* = locus ante scenam; his adscribi possunt omnia composita ex particulis praefixis effecta, ut: *per-similis*, *sub-ripi*.

d) *Possessiva* tandem in quibus totum compositum qualitatem denotat a subiecto possessam: *ali-pes*: qui habet pedes alatos, *aequi-libris* = qui habet aequam libram, *ju-dex* = qui dicit jus.

Quod tamen nostra maxime interest non sunt hae divisiones in species, sed ratio quam sequi oporteat in ipsa compositorum formatione; eadem enim est in omnibus generibus.

4) *Momentum accentus in Latino sermone*.—Accentus, qui unitatis elementum et anima vocis vocatur, summum nactus est influxum in mutatione vocalium Latinarum. Satis superque controversum est de natura accentus Latini sive in origine linguae sive in classica aetate.⁶ Duplicem distinxerunt auctores accentum: *intensionis* (intensidad) i. e., quo syllaba majore vocis seu exspirationis *iātu* pronuntiabatur, et *toni*, quo majore vocis seu toni *elatione*; accentus intensionis ob peculiare munus et characterem quo in primordiis Latini sermonis donatus fuerat, singulare nomen pariter sortitus est, nempe: accentus *intensionis initialis*, maximamque obtinuit praestantiam in vetere linguae formatione, nam primae syllabae vocabuli majorem vim seu intensionem impingebat et ex discrimine intensionis ac debilitatis syllabarum mutationes phoneticae in vocalibus enascebantur. Varias tamen phoneticas mutationes describere —quae accentui debentur— nobis opus non est, eas tantum proponemus quae cum nostra de compositis disquisitione arctius connectuntur.

5 De compositis Cf. BRUGMANN, § 366, 2; 368-380. CLIQUENNOIS, *Le grec et le latin* § 272-288; GUARDIA et WIERZEYSKI, Gram. de la lang. lat., p. 306-315; OBRADORS, *Clave de la traducc. lat.* 2, p. 101-111; LLOBERA, *Gram. Class. Lat.*, 511-513; ALVARUS, Gram. Lat. § 239.

6 Cfr. Quid dicant NIEDERNANN, *Compendio de fonétic. lat.* trad. Mendizábal § 7. CLIQUENNOIS, 6. Quæstionis controversiam et auctores sententias propugnantes vide in LAURAND, *Manuel des études grecques et latines*, VI, 13-17. Cfr. etiam MARAUZCAN, *Traité de stylistique appliquée au latin*, p. 64.

Ob majorem vim, qua sub influxu accentus *intensionis initialis* prima vocabuli syllaba proferebatur, sequentes de qualitate sua quidquam amiserunt et debiliores factae sunt; ex quo natae sunt eae, quas auctores vocant, *apophoniae leges*, Latina⁷ autem voce *deflexiones soni* appellari possunt, Germani vero *Ablaut* nomine significant.

5) *Apophoniae vis*.—Jam vero ex praecipuis *apophoniae* legibus illa praeter ceteras eminet quae sic enuntiari potest: In syllaba media aperta, i. e. cum una tantum consona sequitur, vocalis brevis, —r non secuta, nec i praecedente—, inmutatur in vocalem debiliorem i et aliquando u; sicque habes: a > i; capio > accipio, cano > concino, facio > conficio; e > i: præses > præsidis, lego > colligo, medius > dimidius: o > i: locus > ilico.⁸

Quam ob mutationem vocalium suaviores auditu clausulae ac verba fieri Tullius his verbis fatetur: «*Quid in verbis junctis, quam scite insipientem non insipientem? iniquum non inaequum? tricipitem non tricapitem? concisum non concaesum?*»⁹

Nunc autem, primum elementum compositorum esse deberet thema, desinentia dempta. At thema seu radicale in Graeco et aliis Europæ sermonibus ope vocalis o producitur in thematibus in consonantem desinentibus, sic ὁδοντ-ο-φυγίς, πατρ-ο-κτόνος quae thematis productio ex eo provenire videtur quod non nulla vocabula duplex habebant thema, et in consonante finitum et in vocali, ut: αὐδρ/ο-φάγος : μυρι-αὐδρο/ς In Latino vero sermone haec vocalis unionis o, servari etiam debuit, sed mutata est in i vocali sub influxu verborum in consonantem, sed praecipue in vocalem i desinentium, ut *clavi-ger*, *turri-ger*. Sed maxime haec immisio et mutatio vocalis i debetur legi *apophoniae* superius enuntiatae; quam ob legem, ne tardior fieret vox, quae e prioribus elementis enascebatur (*cum-lego*), sub influxu accentus intensionis initialis, correpta ac debilior facta est vocalis (*colligo*); quod idem accidit in omnibus compositis ex duobus radicalibus conflatis, sic pro *regno-cola* : *regni-cola*.¹⁰ Ex quo factum est ut generatim admitteretur haec vocalis unionis i aut u in omnibus compositis, nisi lex euphoniae aliud expostularet; quod evenit cum alterum membrum compositi vocali incipit: *magn-animus*, aut prope est alia vocalis ejusdem soni: *mus-cipium*.

Hanc quoque componendi rationem omnes secuti sunt auctores qui Latinam linguam locupletare eamque quodam modo vividam reddere hoc tempore conati sunt. Sic clarissimus noster Vives¹¹ summam sibi tribuit facultatem vocabula novandi et quae ipsum habent auctorem, si vere Latina sunt —non Graeca— pari structura effert: *Olli-coitia* (coitia in olla -p. 21), *semini-cruralia* (p. 2), *scarni-fico* (p. 29), *crumeni-seca* (p. 32), *capri-pilia* (p. 65), *primi-ceps* (p. 90); et alia usurpat quae in lexicis habentur ut: *capri-mulgus*, *angi-portus*, *lori-pes*, *aqui-legium*, *duri-corius*, *fugiti-varii*, *scari-fico*.

Nec aliam arrepti sunt viam clarissimi virti et de Latinitate summe meriti ut H. M. Jacobelli,¹² J. Fornari, qui plures annos puritatem Latini sermonis tueri est aggressus, ac tandem assidui PALAESTRAE LATINAЕ collaboratores in sectione praesertim «*Nova et Vetera*»: P. Ildephonsus González et Emmanuel Jové; quod quidem facile lectoribus comperiri licebit. JOSEPHUS M.^а MIR, C. M. F. (sequar)

⁷ MAROUZEAU, *Lexique de la terminologie linguistique, sub voce*. — ⁸ Cf. NIEDERMANN, *Compendio de fonética*. tr. R. MENDIZABAL, 10; CLIQUENOIS, *Le grec et le latin*, 90, ss. BRUGMANN, 348, lb. — ⁹ CIC. *Orat.* 48, 159. — ¹⁰ BRUGMANN, *Abregé de grammaire comparée des lang. indo-europ.*, Paris, 373. — ¹¹ VIVES, *Colloquia* (Berguetti) Marietti, 1934. — ¹² In campo Latinitatis novi flores, Romae, 1914.

MOLAE SUBTERRANEAE

- NARSES. Te, simul atque primum discriminis signum exortum erit, auxilio arcessam... sed abi, abi... sunt hic... audio eos gradientes. (*vi adhibita eos detrudit*).
- CÆCILIUS. (*Valentem secuturus*). Et ego?
- NARSES. (*prehendit dextram ejus et festinans retrahit eum post aliud scenae parietem dicens*) Tu ventes mecum? (*uterque abit et statim aperiuntur clatri.*)
- ASCANIUS. vini plenum (*roce tenui*) et optimum quidem vinum, sicut tu nosti. (*tangit brachium ejus*).
- ASCANIUS. Statim adibo; comprehendit. (*abit*).
- METRANUS. Et qua ratione domino tuo orta est suspicio?

SCAENA SEPTIMA

Metranus, Numida, Ascanius

- METRANUS. Num dominus tuus conjurationem nostram patefecit?
- NUMIDA. Nondum; sed me conjurations consortem esse suspicatur. Nisi pedibus me servasse, actum esset de me, Pende mihi nunc pecuniam promissam!
- METRANUS. Noli dubitare, quin eam sis recepturus!
- NUMIDA. Da mihi ducem, qui me illico removeat Roma!
- METRANUS. Illico? Portae custodes neminem noctu emittunt sine potestate per litteras data, multo minus servum. Mane hic et quiesce: Prima luce dabo tibi ducem, qui te comitetur ad oram maritimam.
- NUMIDA. Sit ita.
- METRANUS. Guttur autem tuum exsiccatum esse suspicor, quod praepopere cucurristi. (*ad Ascanium*) Abi, adfer cadum
- NUMIDA. Tribunus quidam matuelis ejus –dii istum perdunt – nocte quadam me cognovit et ex hac re conclusit... et Probo suspicionem pro te fecit. Modo indagatus eram eorum conloquia... saltu agili fui ad januam, occidi ostiarium, qui me emittere noluerat; me praecipitavi in viam, saltibus ut tigres patris velocissime aufugi. Postquam paulisper properavi currendo, audivi exiguo spatio interjecto clamores servorum, qui ad me persequendum concurrerant e palatio. Contigit, ut, cum in labyrinthum casarum plebejorum pervenissem, e conspectu eorum, qui me persequabantur, raptim effugarem.
- METRANUS. Nemone te conatus est retinere?
- NUMIDA. Viae hominibus erant vacuae; populus universus confluxerat ad magnam conventionem forensem.
- METRANUS. (*leviter cavillans Numidam*) Utri deo sacra facies, quod e manibus inimicorum te eripuit, Romano an Afro?

A. EREM. VIATOR, S. V. D.
(*sequetur*)

De Metricis Pedibus Latinis

De Pedum Natura

Pes Metricus. — Pars est versus ac definitur «Syllabarum complexus cum numero, quantitate atque ordine praefinitis». ¹

Prae oculis in metrico pede syllabarum ac temporum numerus, quem possidere potest, haberi oportet.

Quoad syllabas. — Poëticus pes vel duas, tres aut quattuor syllabas potest habere. Dochmius autem, oratorius pes, quinque syllabas possidet, necnon et Amoe-baeus et Probrachys.

Quoad tempora. — Metrici pedes vel duo, tria, quattuor, quinque, sex, septem, aut ad summum octo tempora recipere possunt.

Pedum Latinorum Numerus et Nomen. — Viginti et octo sunt pedes metrici latini, retinentes non tantum eamdem quantitatem, verum etiam idem nomen quo a Graecis nuncupabantur. «Non sunt contemnenda, ait D. Augustinus,² vetusta vocabula, nec facile a consuetudine recendendum, nisi quae rationi adversatur; utendum est his nominibus pedum quae Graeci instituerunt et nostri jam utuntur pro latinis; quae plane ita usurpemus, ut non quaeramus origines nominum».

Pedum Divisio. — Pedes esse possunt simplices et compositi. Pes simplex vocatur, si, duabus aut tribus syllabis; compositus vero si quattuor syllabis vel duobus simplicibus pedibus, efformatur.

Latinorum Metricorum Pedum Elenchus.

I. Pedes simplices e duabus syllabis efformati.	EXEMPLA:
1 Rōsā	<i>Pyrrhichius</i> e duabus syllabis brevibus componitur, tantumque duo tempora possidet.
2 Mōntēs	<i>Spondeus</i> duabus longis syllabis constat, sed quattuor tempora habet.
3 Nitēns	<i>Jambus</i> duabus pollet syllabis ex quibus prima brevis, secunda est autem longa.
4 Mūsā	<i>Choreus sive Trochaeus</i> e contra duabus syllabis constitutur, longa et brevi. Tria tempora hi duo pedes recipiunt.
II. Pedes simplices e tribus syllabis constituti.	EXEMPLA:
5 Dōmīnē	<i>Tribrachus</i> ex tribus syllabis brevibus componitur, triaque tempora habet.
6 Rōmānī	<i>Molossus</i> e converso tribus syllabis longis, estque temporum sex.
7 Vīrgīnē	<i>Dactylus</i> ex prima longa et duabus sequentibus brevibus.
8 Rēsērānt	<i>Anapaestus</i> , praecedenti contrarius, ex primā et secundā brevibus, tertiā longā.
9 āvēnā	<i>Amphibrachus</i> ex primā brevi, secundā longa, et tertiā brevi. Tres hi pedes intermedii quattuor tempora accipiunt.
10 īnvīdēns	<i>Creticus seu Amphimacrus</i> tribus syllabis constat, primā longā, secundā brevi, tertiā longā.
11 ēgēstās	<i>Bacchius</i> ex prima brevi et duabus sequentibus longis.
12 Nātūrā	<i>Antibacchius seu Palimbacchius</i> , anteriori contrarius, e primis duabus longis, sed tertiā brevi. Hi tres ultimi pedes temporum quinque sunt.

¹ Pes autem dictus est, sive quia pars mensurae et modus quidam. sive quia in percussione metrica pedis pulsu ponitur, tolliturque, seu quia ut nos pedibus nostris ingredimur atque progredimur, ita et versus per hos pedes metricos procedit et scandit. (Marius Victorinus - De Arte Grammatica - Lib. IV, 2485. — 2 S. Augustinus «De Musica - Lib. II, cap. VIII, n. 15.

EXEMPLA:

- 13 Rēligiō *Proceleusmaticus* quattuor breves syllabas habet vel duobus pyrrhichiis pedibus efformatur.
Quattuor est temporum.
- 14 Cōncūrrērūnt *Dispondeus* autem quattuor longas syllabas exoptat, seu duobus spondeis componitur. Pes omnium diuturnissimus est, octo namque tempora habet.
- 15 ēfflāgitēt *Ionicus a Majore* duobus pedibus primo spondeo et secundo pyrrhichio constituitur.
- 16 Fūgītīvī *Ionicus a Minore* e contra primo pyrrhichio secundo spondeo.
- 17 ēxōlētūs *Dichoreus vel Distrochaeus* ex duobus choreis, sive Trochaeis.
- 18 Bēnignitās *Dijambus* e duobus pedibus jambis.
- 19 Nōbilitās *Choriambus* ex primo pede choreo et secundo jambo.
- 20 Vēnūstātē *Antispatus vel Jambichoreus* superiori contradicens ex primo pede jambo et secundo choreo. Hi sex, quattuor syllabarum pedes intermedii, sex constant temporibus.
- Paeones dicuntur pedes quattuor syllabarum e quibus tres sunt breves unaque longa.
- 21 Cōccinēus *Paeon Primus* ille vocatur qui habet primam syllabam longam, sive choreo et pyrrhichio componitur.
- 22 Rēmittērē *Paeon Secundus* si longa est sua secunda syllaba; jambo et pyrrhichio efformatur.
- 23 Rübicündā *Paeon Tertius* si qua tertia syllaba est longa; pyrrhichio et choreo constituitur.
- 24 Rēcōlērēnt *Paeon Quartus* si quartam syllabam habet longam, vel pyrrhichius et jambus eum componunt.
- Omnes paeones sunt pedes quinque temporum.
- Epitriti seu Hippī omniō contrarii sunt paeonibus, quattuor etiam syllabas retinēt, e quibus una dumtaxat est brevis at tres reliquae longae.
- 25 Sācerdōtēs *Epitritus Primus* est ille qui primam syllabam brevem habet, tres ceteras longas, sive compositus est jambo et spondeo.
- 26 cōmpróbābānt *Epitritus Secundus* si syllaba secunda brevis est, aut choreo et spondeo formatus.
- 27 Cāptīvitās *Epitritus Tertius* si brevis est tertia, vel spondeo et jambo componitur.
- 28 ēxōrnārē *Epitritus Quartus* qui quartam syllabam habet brevem, sive spondeo constat et trochaeo.
- Omnes epitriti septem tempora obtinent.
- Pedes quinque syllabarum rarissimi sunt et fere nunquam usitati. Ab oratoribus tantum adhibetur ille pes *Dochmīus* dictus, ex jambo et amphimacro constitutus.
- Inhāerēscērēnt } *Dochmīus* enim pes octo accipit tempora, sed in poēticis compositionibus locum non invenit, ut Inhaerescerent.
- Alii duo sunt pedes quinque syllabarum, nempe, *Amoebaeus* et *Probrachys* a plurimis Auctoribus recensiti.
- Pōstlimiñō } *Amoebaeus* efformatur spondeo et anapaesto atque octo temporibus constat, ut Postliminio.
- Rēcāndēscēntēs } *Probrachys* tandem componitur dupli pede, primo jambo et secundo molosso, estque novem temporum, ut Recandescentes.
- Solutio cuiusdam Objectionis.* — Nonnulli sunt Auctores qui Pyrrhichium pedem a latinorum pedum numero immerito abarcant. Nam juxta eos (renitente Divo Augustino) omnis pes metricus latinus tria saltem tempora possidere oportet. Quod verum non videtur. Ita igitur perillustris Rhetorices Magister se habet. «*Magister*». «*Dic etiam quod habeat tempora binarum syllabarum minimus pes, quod item maximus?* — Discipulus — Duo ille, iste quattuor.»¹

1 S. Augustinus - De Musica Lib. II, cap. IV, n. 5.

Labitur enim, ratio praecipua qua hi Auctores suam opinionem fulclunt. Clarus praeterea hanc aententiam Sanctus Doctor rejicit his primis verbis quibus suum praeclarum opus «*De Musica*» incipit: ¹ «*Magiste!*» — Modus, qui pes est? «*Discipulus*» — Pyrrhichius. M. — Quot temporum est? D. — Duum.»

Ergo non est recedendum a tradita Majorum doctrina.

GREGORIUS MARTÍNEZ CABELLO, C. M. F.

Adhuc de Bucolicis Vergilianis

Primas quibus, ad Eclogarum personarum delicias Mantuanus tribuit, haec commemorantur loca praecipua.

«*Tityrus*», patulam fagum, prout Bucolicae primae incoepitis liquet, lectam habet: «*Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi...*» In secunda, «*Alexis*», querula Corydonis vox, semiputatae inmemoris frondosae in ulmo vitis «*inter densas, umbrosa cacumina, fagos*» tristis, auras clamore premens, errat. Tertia «*Palaemon*» certamen Menalcam inter et Domoetam molli in herba. Palaemone judice, instituit. «*Dicite quandoquidem in molli consedimus herba*». In quarta, «*Pollio*», profari juvat Poëtam quin loci rationem habeat, Sicelides sibi invocans Musas, laudibusque prosequitur amplis Salonium recens natum filium Asinii Pollionis. «*Sicelides Musae, paullo majora canamus*». In quinta, «*Daphnis*», flebile nescio quid Menalcas et Mopsus frequentibus sub ulnis corylis mixtis, queruntur pastores. «*Hic corylis mixtas inter consedimus ulmos?*» «*Silemus*» in sexta, rigidas inter quercus Satyrorum, Faunorum, Silenorumque jucunda persapienter depingitur vita. In septima, «*Moliboeus*» gregibus congregatis in unum, ilicis argutae sub umbra Corydon Thirsisque pastores de musica certant. «*Forte sub arguta consederat ilice Daphnis*». In «*Pharmaceutria*», ordine octava, caelum questibus implet deosque ferit superos, quia Nisae amore deceptus est, Damon tereti olivae incumbens. In nona, «*Moeris*» et «*Lycidas*» duo pastores Mantuam proficiscentes introducuntur. In postrema, «*Gallus*», locum non habet delectum tantumque Cornelium Gallum animo complectitur Vates maximis tollere honoribus; opemque imis ex praecordiis Arethusae Siculi fontis precanis conata perficit, «*Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem*».

Praefata enim carmina, quoad personas spectat, ex variis conflantur poëseos generibus. Exegetico, scilicet Dramatico et Mixto. Exegetici jussa tenuit Vergilius in Ecloga quarta, «*Sicelides*» initium faciente; Dramatici, in prima, tertia, quinta, et nona; atque Mixti in decima.

Quicumque igitur Poëtae in Eclogis condendis ingrediatur vestigis, variatae non sunt hominum sententiae satisque Theocriti Syracosii constat incessus speculari, ipso teste Vergilio ubi Eclogae sextae in capite memoriae prodidit aperte:

«*Prima Syracosio dignata est ludere versu nostra; nec erubuit silvas habitare, Thalia*».

MATTHIAS LUENGOS, C. M. F.

Xerae Equitum Kal. Juliis. a. MCMXL.

1 Id. Ibid. Lib. I, cap. I, n. 1.

Nova et Vetera

SCHIPERLIANA CONLOQUIA

De ea, quae medicis est arteriosclerosis obturazione arteriarum

MICHAEL.—Riseris, me, Celse, sed egomet mihi graviter aegrotare videor. Dixi
ego te facturum, quod facis? renuis. Me tam bona esse annos natum duodeseptua-
ginta facie. Sed hanc faciem fallacem esse certumst. Primum mihi est, quod cor
dicitur: hoc valde deficit. Qui ante hac nullo negotio ascenderim in habitationem
meam — scis secundam me tenere consignationem — nunc in mediis gradibus anhe-
lus consisto. Accedit tinnitus aurium, accedunt stridores capitis, frigent usque ma-
nus, pedes frigent, et quotiens celerius me converto, vertigo me capit tanta, ut capere
cogar adminiculum. Per omnes te deos oro, ut, quorsum haec spectent mihi dicas
candide. Aequo animo, quidquid fuerit, accipiam.

CELSUS.—Ante cetera, maxime magister, cur tu subito tam es emoto animo.
cedo. Quindecim non sunt dies, cum te casu ad fossam urbis conveni, uti soles,
ambulantem et hilarem. Tum tu harum rerum nullum verbulum. Quis tandem hunc
tibi injecit scrupulum? Quis ex forti viro timidum te senem fecit? Tene aegrotare eo
quo dixisti morbo? Nunquam credam, sed quendam libellum te commendaticum
legisse; in quo essent de arteriosclerosi minae, illum, qui experiretur in suo corpore,
quae tu modo mihi commemorasti mala, jam falce premi ossei illius viri et ostentan-
tis clypsedram. Num divino falsa? Et illo annuente — et subridente —. Dixine ego?
Nunc, si me audire vis, qui inde ab antiquis annis recta tibi dederim consilia, sic
habe: Ut multi homines, quos malos ferant et subdoles meliores fama sunt sua, sic
statue de hoc morbo, qui est arteriarum obturatio. An tum, cum canescebat atque
albescebat coma, insanum perturbatus es? Non tu quidem. Et postea, cum pulchri-
dentes tui et firmi ex ordine vacillare coepерant et decretare officium, num omnem
tu statim despondisti animum? Non ita tu, credo, sed quod erat reliquum hoc tu
faciebas: quae frangere non poteras mordicus, haec tu non mordebas amplius ac-
commodata consuetudine mutatis condicionibus. Sed redeamus ad obdurationem
quae immoderato nomine etiam arteriarum calce obductio a multitudine nominatur.
Et sane quidem senescentis aetatis morbus est. Dicitur autem in annos, dicitur
in decennia, neque semper in justum morbum abit. Hic non erit necesse mutare te
institutam vivendi rationem. Nam primum tu per te es in omni victu continens, de-
inde non es potator alcoolicarum potionum, parcus es in usu nicotini. Non te ego
prohibeo uno, quo soles uti, tabaceo convolvulo, unum bibere cervisiae poculum.
Nam his subtractis ita non erit melior valetudinis condicio tuae ut nocuisse videar
vitiae tuae. Quid? quod non ut prius secundae contignationis uno impetu et perlevi
superare potes scalas, debilitas tibi suspecta est cordis tui? Quantam tu facis injuriam
motori corporis tui, qui per annos septuaginta propemodium fideliter fecerit
officium? Nunc si paulum imminui pensum postulat, negabis scilicet, non dabis
quieti locum. Hoc illi gratius et utilius facias, quam si incipias tractare durius. Fri-
gidos pedes curato tepido balneo et lotionibus alcoolicis, in primis vino usto Galli-
co, lotos pedes dato in lanea tibialia et in calefacentia calceamina. Ambulato, ut
soles, cottidie. Tinnitus ille cessabit emendata circulatione sanguinis. Et vertigo tua,
estne vehemens et gravis? At perturbat. Hic fortasse medicamenti locus. Est viscys-
atum ex visco albo ductum, silicata materia, saluberrima, sclerosoleum si vis audi-
re nomen.

MICHAEL..—Et omnia ista quibus dicunt depelli sclerosin. allium, jodum, cetera; nil, Celse, prodesse censes?

CELSUS.—Nos omnes, maxime magister, ex remediis nostris eo majorem fructum speramus, quo nos tranquillus comparaverimus atque prudentius. Ne in curandis morbis quidem faciendum est, quod dicunt, ut in passerculos ponderosiora tormenta mittamus. Tranquillo igitur es animo, neque hoc institue, ut curare velis tamquam gravem morbum, quae sint molestiae. Meis obtempera consiliis, quibus si incommoda non cesserint, venito, nam tunc aegrotus eris.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

Commercium Epistulare

Andreas Avenarius S. V. D. Josepho Jiménez, C. M. F.

Miserat ante menses tres quattuorve quidam ex nostris sodalibus, qui in Seminario Societatis, quod est in Shaniungiae urbe Taikiachwang, pueros docet linguam Latinam, duo exemplaria libelli, quem ipse composuerat de structione enuntiatorum Latinorum, quae structio hominibus illis longe aliter ac Europaeis cogitantibus et quae cogitarunt exprimentibus abstrusa nimium et obscura esse videtur.

Vult me collega ille proferre sententiam de via a se lecta, quam sententiam rescripsi: mihi scilicet probari a magistris his adminiculis viam sterni, neque inutilem esse rationem etiam Europaeis.

Sed quoniam idem aliquam de suo opusculo commendationem vel ut nos loquimur «recensionem» desiderat, mihi utile esse visum est alterum exemplar dare ad te, ut vel tu ipse vel aliquis fratrum tuorum rem sibi statuat cognoscendam. Si digna fuerit in PALAESTRA mentione, ut aliquando tractetur rogaverim, ne conatus, laude per se dignus, a me neglectus esse videatur.

Spero nostrum P. Raymundum Sarmiento in patria diligenter dare operam ut studia haec Latina ex Bonis Aëribus foveat et promoveat.

Meministi ante annos quinque aut non multo secus centenarium celebrare nos Horatii poëtae. Utinam qui tum invitatus ab Jovaeo f. r. scripsi de vita hominis, jam tum cognovissem, quod proximo die dominico his oculis vidi: villam ejus in Sabinis montibus collocatam in Usticensi valle et fontem illum Bandusiam, ex quo liquorem hausimus gelidum, quem ille canit lucidiorem vitro. Si contigerit etiam Arpium invisere, quod est in votis, certe accipies descriptionem historico-lyricam. Agrum Tusculanum vidimus. Ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide Roma VI Kal. Maj. 1940.

(Roma-Ostiense Cas. Post. 80)

Josephus Jiménez Andrae Avenario S. P.

Modo litteras tuas accepi una cum fasciculo commendando «De repraesentatione graphica propositionis Latinae».

Consilium auctoris non possum non laudare. Sunt enim hujusmodi opera ad instituendam juventutem valde utilia dum vero sit modus in rebus.

Descriptionem Horatianam vel quidquid lubeat, bone Andrea, ne in crastinum differas. Jamdiu enim Palaestritae te exspectant Nonne morem benigne nobis geres? Vale.

Caesaraug. IV Non Maj. a MCMXL.

Per Orbem

Superiore Palaestrae fasciculo lectores certiores facere gratum nobis fuit atque jucundum de recenti in Universitate Cordubensi in Argentina litterarum classicarum institutione

Ne id quidem satis; jam inde ab anno 1931 in Universitate Bonaërensi, supremi pro scholis regendis administris decreto creatus est «Instituto de Literaturas Clásicas». Hujus fints erit omni opere studium cultumque humanarum litterarum promovere, in primis a) Bibliothecae Latinitatis editione, quae opera complectitur in Argentina ad id usque temporis edita; b) Bibliothecae argentinae philologiae classicae, opera potissimum divulgationis dicta, versiones, classico-rum manualia a professoribus aut alumnis exarata, colligantis; c) testuum collectione tum graecorum tum latinorum ad scholarum usum et utilitatem; d) An-

nalibus, disputationes, bibliographiam, elucubrationes, cet. continentibus.

Deinde, rerum dispositione ad investigandum, uti librorum, ephemeridum, codicum, cet.; copiae atque materiei ad docendum (photopicturarum, tabellarum et id genus alia).

Postremo, ad docendi rationem quod attinet, Instituti laudati munus erit pro modo suo cursus classicarum litterarum incrementum fovere ut investigationum labore et alumnorum academiis.

In alio hujus numeri loco duo referuntur opera, quibus addenda sunt magnae quidem molis opus quod inscribitur «Estudios Latinos» et alia quae brevi prelo mandanda parantur.

Doctissimo Praesidi ejusque sociis ex animo gratulari et operam plausibus extollere non est opus.

R. PALMÉS, C. M. F.

Villae Rosarii in Arg., idib. majis.

Responsorium

Valentiae à Sancto Johanne, Methodum, quae apud nos viget linguam Latinam alumnos edocendi, scire desideras? En tibi, bone subnotator, praecipua sci- tu digna. Ordo noster Studiorum. Generalis, de quo nos interrogas, quinque Latinitatis cursus complectitur. In tribus primis denis horis hebdomadalibus grammaticae praecipiuae vacamus Fernández nostrae Congregationis socii; in duobus sequentibus, quinque horis hebdomadalibus in stilisticam magis incumbimus. — Nullum adhuc textum habemus, sed quae sunt notanda tradit ore praeceptor. Aliquot abhinc annis prodit apud Hispanos opuscolum «Stilistica Latina» auctore P. Granero, S. J. — Nihil tamen adeo curamus quam ut alumi ni in vertendis classicis continenter exerceantur ad hunc fere modum:

In Cursu primo: Post grammaticae rudimenta verti possunt a) Epitome Historiae Sacrae, b) Epitome Historiae Graecae; c) Phaedri Fabulae.

In Cursu Secundo: a) De viris inlustribus urbis Romae (Lhomond); b) De bello

Gallico; c) Selectae Ciceronis epistulae.

In Cursu tertio: a) De Senectute et de Amicitia (Cic.); b) De bello civili (Caes.); c) Historia Alexandri Magni (Curt.); d) De bello Catilinario (Sallust.).

In Cursu quarto: a) De mortibus persecutorum (Lancant.); b) De Oratore (Cic.); c) Eclogae (Verg.); d) De bello Jugurthino (Sallust.)

In Cursu quinto: a) Orationes selectae (Cic.); b) Carmina selecta (orat.); c) Prudentii Carmina selecta; d) Ab urbe condita libri I, II, III; e) De arte poética (Horat.); f) Aeneidos libri I et II.

Ad regulas grammaticales per scriptum exercendas — scriptio ad discendum optimum est exercitium — Quaeratur aliqua thematum collectio ordinata, licet completa deest in Hispania. Attamen ad stilisticam pro duobus postremis cursibus adhiberi possunt opuscula Gandino quae in nostram linguam feliciter verterrunt Rdi. PP. Societatis Jesu «Colección de temas estilísticos». — Habes igitur fere quae apud nos in instituendis ad Latinitatem pueris aguntur. — SENEX,

Aenigmata

1. Cresco sponte solo, vel nullo semine jacto.
Nomen litterulis cingis utrimque meum?
Conspicies Afrum regali stirpe creatum,
Frater adoptivus quem dedit ipse neci.
2. Sum neutrum? Fuge me cito. Nam mucrore paratum
Acri sum cuivis adcelerare necem.
Ad convexa poli consurgo vasta columna.
Si sibi *semineum* me genus adseruit.
3. Filius Aurorae fuseo seror esse colore.
Consona de medio pellitor una mihi!
Ad *Cunaxa* sequens Cyrum, sum fraude peremptus:
Unum sacravit mi Plato divus opus.

Prof. FR. PALATA, Moravus.

Solutiones aenigmatum numeri 60

1. Alces, Alc-id-es. 2. Ros, Tros. 3. Arvus, acervus. 4. Tomi.

Quisnam aenigmata dissolvit? Ea recte dissolverunt R. P. Johannes Emm. Hernández, Sch. P. et R. Fr. Hilarius a P. Jesu, Carmelita Discalceatus. Tamen, bone Johannes, nonne tibi cum Hilario carissimo in quarto aenigmate magis *Tomi* quam *Ponti* placet?

Lectoribus Monita

Extraordinarius Augsteus

Omnia parata erant ut extraordinarius fasciculus, quem occasione hebdomadae Augustae Caesaraugustae recens habita nuntiavimus, saltem Kalendis Augustis in manus vestras perveniret. Sed nondum nobis quicquam fuerat cum officina chartarum. Eorum autem fidem in executione promissorum nunc quidem experti sumus. Ideoque frustra, lectores humanissimi, tamdiu commentarium nostrum exspectastis. Insontes vobis rogamus gratiam.

Nunc vero, postquam egregius Caesaraugustanus Litt. Lat. Professor et Pro-Rector Dr. Galindo, huic impiger negotio dedit operam, illud feliciter exiturum speramus.

Exteris gentibus

Quia ob temporis adjuncta cursus publicus ab Hispania non tantum ad transmarinas fere omnes civitates, sed etiam ad plures Europae gentes intermissus est, nos quoque PALAESTRAE LATINAЕ fasciculos jam a n.^o 61 intermittere coacti sumus. Fasciculos qui interim prodibunt apud nos servabimus, eosque sociis qui postea expostulaverint dabimus, vix compositis in pace rebus, quod ut citius fiat ex animo pro universi orbis fortuna ominamur.

ACTUARIUS.

Epheborum Exercitationes

Ludus¹

Insignes homines etiam luserunt. Argesilaus Spartae rex insidens longae arundini cum filio suo equitabat. In ludis autem crudelitatem fugere debetis. Domicianus Imperator, muscas regiae suae captare solebat atque acu configere. Aliquando janitor rogatus essetne aliquis cum Imperatore respondit: «Ne musca quidem».

C. LÓPEZ et M. Russo, C. M. P.
Villae Rosarii in Argentina.

Heu miseros superstitionis!

Accidit ut homines sint aut religiosi aut superstitionis. Homines mundani, fallaci scientia praediti, fidem Deo adhibere recusant, seseque magnum in mare superstitionis submegunt. Verae religioni fores claudunt qui superstitioni eas aperiunt. Quam sunt superstitionis miserandi! Vel ipsis ethnicis atque infidis, ingenio acribus, derisui fuerunt!

Quondam miles quidam a Catone quæsivit: «Hac sub nocte calligas meas

mures roserunt, quid hoc sibi vult?» «Quod mures calligas roserint tuas — inquit Cato — nullum habet sensum. Sin autem calligae tuae mures roserint forsitan id non nihil significaret».

AUGUSTINUS ANDA, C. M. P.

Alumnus tertii cursus
Sancti Dominici Calceatensis.

De Bto. Antonio M.^o Claret

Amice, scis quisnam fuerit Btus. Claret? — Dicam tibi aliqua de Bto. Claret. Natus est Sallenti in Hispania. A puerco cogitabat aeternitatem poenarum. Cum Galli Sallentum apropinquabant ut depraedarentur illam civitatem, duxit manus sua avum monstrabatque ei pericula itineris. Etiam quodam die dum ad scholam iret, invenit in via aliquot nummos, et nesciens cujus essent, in domum vicinorem intravit ut traderet nummos. Plura alia fecit.

FR. ORÓ, C. M. P.
Alumnus alterius cursus

Cervariae Lacetanorum.

S A L E T P I P E R

Domina et recens famula

DOM.—Postquam utensilia et vasa culinaria deterseris projice turbidam aquam per fenestram; sed quo cadat inspice.

FAM.—Sic fiet, domina.

Paulo post infernales clamores, magno cum strepitu a domina percipiuntur.

DOM.—Quaenam accidunt res, Cata?

FAM.—Quod jussisti peregi.

DOM.—Ecquid ergo?

FAM.—Aquæ super vigilem deciderunt.

Qui primum dat, bis dat

—Cur fles, puer?

—Quia Antonius alapam mihi dedit.

—Et quare non ei alapam reddidisti?

—Quia ego, equidem, prius jam feceram.

¹ Cfr. Pal. Lat. núm. 55

Bibliographia

T. M. Plauti. — *Miles Gloriosus*, curavit H. François; Impr. de la Universidad, 1934, Buenos Aires.

Hoc fasciculo incohantur opera classicorum, quae ab «Instituto de Literaturas Clásicas» Universitatis Bonaërensis in Argentina edi sunt copta, sub moderamine humanissimi viri H. François. Nihil desiderari contigerit in hac T. Plauti comoediae editione, qui quidem, teste Macrobio, ea re clarus interque comicos et unum Ciceronem oratorem praestantissimus fuit. Primum de poëtae vita, de nomine fabulae et origine, veterum testimonia referendo, disseritur. Maxima textus concinnitate et elegantia et locorum intellectu difficilium elucidatione, magna quidem singularis eruditiois copia, libellus cl. François est omnibus commendandus.

M. T. Ciceronis. — *Orationes in L. S. Catilinam, Oratio I*, curavit Fr. Novoa; impr. de la Universidad, 1939, Buenos Aires.

Hic libellus iisdem ac prior quem modo memoravimus qualitatibus praestat. Quaedam sapienter dicta praemittit auctor de vita et factis cum Oratoris Romani tum Romae proditoris. Crebris illustratur imaginibus et tabellis. Brevis editum iri nuntiatur sequentes Ciceronis in Catilinam orationes, quod fore magnopere quantocius exspectamus.

R. PAIMES, C. M. F.

J. Marouzeau. — *Comment prononçaient les Latins*. — Buenos Aires, 1940.

Clmus. Marouzeau fatorum nutu suorum patria extorris, vix in Bonaërensem urbem pervenit, a moderatore Instituti Litterarum Classicarum invitatus, publicam habuit collationem de pristina Latinorum pronunciatione, quam classicam vocant. In ea soluta oratione notabiliora

de hac re tradidit exemplis et argumentis confirmata. Haec vero collatio publica typis mandata nobis divulganda missa est. Quod nos quidem enixe facimus.

Dris. Camilli Torrente, C. M. F. — «Brochazos». — San Antonio, Texas, 1939. — Pag. 400.

Dignus est qui in his pagellis recipiatur hic Dris. C. Torrente liber, non quia ad Latinitatem sese referat, sed quia est auctoris carissimi et de PALAESTRA nostra bene meriti. Etenim non tantum socios dignissimos commentario nostro cumulandos curavit, sed etiam cum opus fuit, amicorum familiaritate usus est, ut nobis morem gereret, rariora quaedam et praestantiora opera perquiendo eaque actuariae nostrae dono mittendo.

Hoc tamen, absque eo quod intrinsecus in opere latet; opus enim est plenum vigoris et amoris. Hae duae sunt praecipuae operis dotes quae tot tamque variis argumentis unitatem quandam tribuunt, aliunde inter se disgregatis, ut pote quae non ad hoc scripta fuerant ut in unum collegerentur, sed ut paulatim vulgarentur in hebdomadario «La Esperanza» a Claretianis Patribus edito. Tanta vero ex iis lectores sumpserant voluptatem, ut iterum, diligenter collecta, edere opus fuerit.

Tu vero, cum primum hoc opus legeris, auctorem dixeris plena et fervida juventute vigere; et equidem ea viget, quamvis aetas capillique aliud confirmare videantur. Is enim in cuius pectore religionis amor et patriae desiderium continuo fervet, senescere nunquam potest, sed perpetua fruitur juventute. Talis est fervidus et actuosus P. Camillus Torrente.

Deus auctorem sospitet eumque protegat ut ei in hac sanctissima causa pugnare nunquam desinere contingat.

J. JIMÉNEZ, C. M. F.



Opera in Schola

a RR. PP. Missionariis Filiis Immti. Cordis
B. M. V. confecta et Officiali de Lingua Latina
Quaestionario adaptata

Jiménez Delgado, C. M. F. — *Primer Curso de lengua Latina*, adaptado al cuestionario oficial. — Barcelona, Lauria, 5.

Hujus operis virtutes et summarium in praecedentí PALAESTRAE fasciculo palam proferebat R. P. Henricus Martija:

«Aucton Horatianum illum scopum devitavit: «brevis esse labore, obscurus sio»; brevitati enim consulit quin claritati noceat; doctrinae simul copia commendatur. Expositio modo schematico per paradigmata procedit, quo facilius materiae oculis alumnorum et mentibus inhaereant. In primo paradigmate pronuntiatio Latina triplex exponitur, scilicet classica vulgo dicta, hispana et italica. De accentu prosodico, ubi regulae prosodiae declarantur, et de orationis structura, paucis verbis sed densitatis plenis absolvit; eademque methodo schematica agit de flexione nominali, de adjectivis et pronominiibus, de flexione verbali, de praepositionibus, adverbii et conjunctionibus. Praeterita et supina quae magis usu veniunt, quasi per jocum ipsa verborum flexione ediscuntur. Pars theorica paradigmate de verborum compositione et derivatione clauditur.

Pars exercitoria sententias et adagia Latina continet; atque versionis themata Latina, praesertim ex operibus paedagogicis Lud. Vives mina sedulitate excerpta.»

J. M. Jiménez Delgado, C. M. F. — *Segundo Curso de Lengua Latina*, adaptado al cuestionario oficial. — Lauria, 5. Barcelona. - Impr. F. Camps Calmet. Tárrega, 1940.

Pater Josephus M. Jiménez, cuius nomen apud lectores PALAESTRAE LATINE maxima gaudet familiaritate, alteram partem nuper edidit totius grammaticae

officiali de Lingua Latina Quaestionario, a Ministerio Educationis proposito, mirum in modum accomodatam. In ea quidquid ad universam morphologiam pertinet simplicitate quadam, brevitate, perspicuitate, rerumque grammaticarum copia mirifice tradita invenies. De re autem syntactica ea tantum proponuntur quae necessaria videntur ut alumni certo jam pede ad auctores classicos ingredi queant. Sub finem operis nunnulla a Phaedro, Eutropio, Cornelio Nepote in epheborum exercitationem excerpta placebunt.

Jiménez Delgado, C. M. F. — *Historiae Sacrae Compendium*. — Barcelona, Lauria 5.

P. Jiménez nunc primum edidit hoc SACRAE HISTORIAE COMPENDIUM in usum alumnorum primi cursus. Quod optimo sane consilio fecit. Nam, etsi fuerit quondam tempus, cum ab institutione puerorum Historiae Sacrae facinora inconsulto rejicerentur, nunc iterum ad eam aetatem ventum est in qua sacrorum virorum dicta et facta in deliciis erunt.

Clarus ille Lhomond praecipua Historiae Sacrae conlegit, puerisque erudendis proposuit. Haec eadem auctor breviavit et facilitiora reddidit. Ea praeterea ditavat notulis, exercitationibus, verborumque ordinatione et transcriptione.

Jiménez Delgado, C. M. F. — *Epitome Historiae Graecae*. — (2.^a edición) Barcelona, Lauria, 5.

Cum primum hoc opus edebatur haec clmus. et desideratissimus Emmanuel Jové scripsit:

«Quam opportune opusculum hoc in lucem prodit! Desiderabatur a praceptoribus

in aulis praelegendus, desiderabatur maxime a pueris, qui primis Latinis litteris imbuuntur, interpretandus. Nihil in eo non utile, nihil non jucundum. Jucundus parva et eleganti forma, jucundus limpidis elementorum typis, jucundus praesertim amoenitate rerum una cum earum historica utilitate; agit enim de populo qui litteris orbem domuit. Triginta capitulis praecipuos praebet gentis Graecorum tractus, adpositis ad calcem uniuscujusque capituli notulis et grammaticis et historicis. Ad finem

*autem per capitula voces vertuntur, quae quidem voces deinde, alio indice, litterarum ordine proponuntur expresso loco ubi pri-
mum in textu eas legeramus. Denique tribus tabulis geographicis omnes urbes et oppida alumnis ostenduntur de quibus in narratio-
ne facta fuerat mentio. Omnibus his de
causis pro certo habeo ejusmodi Epitomem Historiae Graecae in Instituta, in Semi-
naria, in Ephebea tum Hispanica tum Ameri-
icana venturam esse atque acceptum iri.»*

Apud Administratorem "Palaestrae Latinae" veneunt

Conlectio Palaestrae Latinae

ab anno MCMXXX ad ann. MCMXXXVI 50 ptrum.

Primer Curso de Lengua Latina

adaptado al cuestionario Oficial 3 ptrum.

Segundo Curso de Lengua Latina idem. 5 ptrum.

Historiae Sacrae Compendium

para el primer curso de latín 4 ptrum.

Epitome Historiae Graecae (2.^a edición)

para el 2.^o curso de latín 5 ptrum.

Prudentii Carmina Selecta

para el 6.^o curso de latín 6 ptrum.

Faenus pro bibliopolis et professoribus

majus vel minus erit prout major vel minor sit exemplarum postulatio. Itaque si de exemplaribus ágatur

supra 10 20 %

» 25 25 %

supra 50 30 %

» 75 35 %

Omnia haec opera requiri possunt a

"Palaestrae Latinae" Administratore - Lauria, 5. - Barcinone

Typographia — F. Camps Calmet. — Telephon, 54. — Tarregae in Prov. Ilerdensi